



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Conclusio affirmativa statuitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

veteris testamenti ducebantur spiritu timoris; quare in sacris litteris appellantur servi, & spiritum servitutis habere dicitur, ut patet ad Galat. 4. & ad Roman. 8. & alibi sæpe: item illis non patebat aditus ad hereditatem celestem, sicut iustis novæ legis. Quare tres gradus filiationis adoptivæ distingui possunt: primus & imperfectissimus est iustorum ad veterem legem pertinentium; secundus est iustorum ad legem novam spectantium, qui alio perfectior est: tertius, & omnium perfectissimus, est beatorum videntium Deum; qui non solum habent jus ad Dei hereditatem, sed etiam illam actu possident, Deoque per beatificam visionem perfectissime assimilantur. De hac adoptione loquitur Apostolus ad Roman. 8. cum ait: Nos ipsi primitias spiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, id est filiationem gloriæ, quæ excedit statum adoptionis viæ; sicut status adoptionis iustorum novæ legis, præstantior est statu adoptionis patrum veteris testamenti. Unde sicut ob hunc excessum D. Paulus ad Galat. 4. statum antiquæ legis comparat parvulo, sub actoribus & tutoribus constituto; ita 1. ad Corinth. 13. loquens de statu præsentis viæ, comparative ad statum gloriæ, eadem utitur similitudine, dicens: Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus &c. Sicut enim status veteris legis, propter imperfectam cognitionem, est sicut parvulus, in comparatione ad statum gratiæ & veritatis, quæ per Christum facta est: sic status præsentis viæ, in qua videmus per speculum & in enigmate, est sicut parvulus, comparative ad statum vitæ futuræ, in qua est perfecta cognitio Dei.

149. Inferius ultimò, relationem filiationis adoptivæ Dei esse realem: Nam sequitur ad realem generationem, per quam rationalis creatura accipit gratiam habitualement, illi intrinsicè inherenter: Relatio autem habens reale fundamentum intrinsicè non est rationis, sed realis.

Confirmatur: Ideò filiatio adoptiva inter homines est relatio rationis, quia sequitur ad extrinsecam acceptionem unius hominis ab alio ad eius hereditatem, quæ acceptio nihil reale intrinsicè infert in subiecto adoptato: Sed filiatio adoptiva Dei non sequitur immediatè ad extrinsecam acceptionem, sed ad formam realem intrinsicè, nimirum gratiam habitualement, ut ex supra dictis patet: Ergo est relatio realis.

ARTICULUS VI.

Virum gratia habitualis realiter distinguatur à charitate?

150. Negant Scotus, Durandus, Gandavensis, & alij antiquis Theologis, contententes idem esse gratiam & charitatem secundum rem, solumque formaliter & ratione ratiocinata distinguui, ita ut idem habitus dicatur gratia, quatenus gratis datur, aut gratum facit; charitas verò, prout est principium diligendi Deum. Hos ex Recentioribus sequuntur Vega lib. 7. in Trident cap. 26. & 27. Bellarminus lib. 1. de gratia & lib. arb. cap. 7. & Egidius Copinck de actibus supern. disp. 21. Subio 7. Sententia tamen affirmans communior est inter Theologos, eamque docet expressè S. Thomas hic art. 3. omnesque ejus Discipuli. Unde sit

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, gratiam distingui realiter à charitate.

Probatur primò ex Scriptura, quæ de gratia & charitate, ut de duobus inter se distinctis loquitur: nam 2. ad Corinth. 13. dicitur, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei*. Et 1. ad Timoth. 1. *superabundavit gratia Domini nostri Iesu Christi, cum fide, & dilectione*. Quibus verbis gratiam à charitate, sicut à fide distingui insinuat: Sed gratia realiter à fide distinguitur cum fides remaneat in peccatoribus, in quibus tamen constat gratiam Dei non esse: Ergo & à charitate.

Confirmatur: ex sacris litteris constat gratiam præcedere charitatem, & prius naturā infundi; Ergo & realiter ab illa distingui. Consequentia patet. Antecedens probatur ex illo ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: ubi diffusio charitatis attribuitur Spiritui Sancto jam dato: Sed datur per gratiam habitualement: Ergo prius naturā infunditur gratia in animā, quam charitas in corde per Spiritum Sanctum diffundatur. Hac ratione utitur S. Thomas qu. 27. de verit. art. 2. argum. 2. sed contra.

Confirmatur amplius: Prius est animam diligere Deo, quam eundem diligere, juxta illud 1. Joan. 1. *ipse prior dilexit nos*: Atqui gratia est objectum dilectionis, quā Deus nos in ordine supernaturali perfecte diligit; nam, ut supra art. 1. ostendimus, amor Dei format objectum suum, reddendo illud amabile per infusionem gratiæ, quæ est animæ pulchritudo, & maximum ejus ornamentum; charitas verò est principium, quo nos Deum ipsum diligimus: Ergo gratia prior est charitate, subindeque realiter ab illa distinguitur.

Probatur secundò ratione: In naturalibus quod dat esse simpliciter, distinguitur realiter ab eo quod dat tantum esse operativum; essentia quippe seu natura à qua dependet esse, distinguitur realiter à suis potentijs, quæ sunt principium immediatum operandi; solius enim Dei est operari per essentiam, & non per instrumentum aut potentiam à se distinctam: unde D. Thomas 1. p. quæst. 54. art. 3. asserit potentiam intellectivam Angelī non esse ejus essentiam; & nostri Thomistæ in Philosophia docent nullam posse dari substantiam creatam, quæ sit immediatè operativa: Atqui de rebus supernaturalibus, servatā proportionē, ac deceptā earum supernaturalitate, philosophandum est sicut de naturalibus; gratia enim, quantum fieri potest, naturæ attemperatur & accommodatur, ut passim docent Theologi: Igitur gratia habitualis, quæ dat esse supernaturale animæ, distinguitur realiter à charitate, quæ tantum confert esse operativum, seu esse principium proximum & immediatum operandi, ac diligendi Deum super omnia.

Respondet Durandus, quod licet virtutes & potentie naturales quæ dant esse operativum distinguantur realiter à natura quæ dat esse simpliciter quia hæc est substantia, ac proinde non est immediatè operativa: habitus tamen charitatis idem inficitur realiter cum gratia sanctificante, quia cum hæc sit accidens, potest esse immediatè per se ipsam operativa, simulque elevare animam ad esse supernaturale, & divinæ naturæ participationē.

ac esse principium proximum & immediatum operandi, & diligendi Deum super omnia.

156. Sed contra primò: Etsi gratia habitualis, ex communi conceptu accidentis, non eximatur ab hoc quod est posse esse principium proximum & immediatum operandi, ac diligendi Deum super omnia, eximitur tamen ex speciali ratione talis accidentis; illa enim ex propria ratione specifica est natura supernaturalis, seu gerens vices nature in ordine supernaturali: natura verò ex proprio conceptu non est principium proximum motus, sed duntaxat radicale & remotum.

157. Confirmatur: Etsi gratia habitualis sit accidens, quia tamen est natura supernaturalis, habet dare esse simpliciter, seu primum esse in ordine supernaturali; subindeque distinguitur a forma, quæ in eodem ordine dat esse operativum, quod est esse tantum secundum quid: hoc enim duplex esse petit distincta principia in supernaturalibus, sicut in naturalibus.

158. Contra secundo: Etsi gratia habitualis sit accidens, non est tamen principium proximum intelligendi in ordine supernaturali, sed id præstat a fide, vel à lumine gloriæ, quæ realiter ab illa distinguitur: Ergo multò minus erit principium proximum diligendi Deum super omnia: cum enim amor sit vis appetitiva, & inclinatio consequens ad naturam, magis videtur distinguatur à natura in qua fundatur & radicatur, quam vis cognoscitiva.

159. Confirmatur: Plus distinguitur esse ab operativum, quam unum esse operativum ab alio esse operativum: cum hæc sint intra eandem lineam operandi, illa verò in diversis lineis; & tamen forma præstans in ordine supernaturali esse intellectivum, non præstat esse volitivum: imò virtus dans esse intellectivum circa principia supernaturalia, nõ dat esse intellectivum conclusionum, hoc enim præstat à Theologia, & prudentia infusa, illud a fide: Simile est in charitate, quæ præstat esse appetitivum circa finem, virtutes autem morales infuse circa media: Ergo multò minus eadem forma præstabit esse primum & simpliciter in ordine supernaturali, & esse operativum ac secundum quid. Unde etsi gratia habitualis sit accidens, cum tamen gerat vices nature in ordine supernaturali, & tribuat esse primum & simpliciter in talis ordine, non potest esse principium proximum & immediatum operandi.

160. Contra tertio: Etsi gratia habitualis sit accidens, est tamen subiectum quo virtutum supernaturalium, sive id quo anima redditur susceptiva virtutum infusarum; non enim intelligitur ante gratiam subiectum proportionatum ad huiusmodi virtutes, cum illæ sint improporionate nature: Ergo distinguitur realiter ab eis. Probatur Consequentia: Quantitas, licet sit accidens, quia tamen est subiectum quo ad recipienda accidentia materialia, ab eis distinguitur realiter: Ergo similiter si gratia habitualis sit subiectum quo virtutum supernaturalium, habilitans & proportionans hominem ad illas recipiendas, realiter distinguitur ab illis.

161. Probatur rursus conclusio ratione D. Thomæ hic art. 3. quæ sic potest proponi. Charitas supponit in anima gratiam habitualement: Ergo realiter ab illa distinguitur. Consequentia patet, Antecedens probatur. De ratione virtutis in communi est disponere subiectum ad operandum convenienter ad naturam in eo præexistentem; nam virtus dat posse bene operari, posse autem

Tom. IV.

A bene operari, est posse exire in operationem naturæ convenientem & proportionatam; bonum enim, & convenientem naturæ, idem sunt: unde Aristoteles 7. physico cap. 17. ait quod virtus est dispositio perfecti ad optimum, & subdit: Perfectum autem dico, quod est dispositum secundum suam naturam: hoc verò inter charitatem & virtutes acquisitas discrimen intercedit, quod illa, cum sit ordinis divini & supernaturalis, non potest sicut alia disponere convenienter ad naturam rationalem secundum se, quippe cum qua non habet convenientiam & proportionem, sed excessum: Ergo supponere debet eam esse elevatam, & convenienter ad illam ut sit elevatam disponere subiectum; subindeque debet supponere formam per quam fit talis elevatio: Sed hæc est gratia habitualis: Ergo charitas supponit in anima gratiam habitualement.

Dices primò cum Durando, unam & eandem formam posse tribuere utrumque hunc effectum, scilicet elevare animam rationalem ad esse supernaturale, & disponere potentiam ad operandum conformiter ad illud, & per consequens non requiri quod charitas præsupponat in anima gratiam habitualement, per quam ad esse supernaturale elevari.

162. Sed contra primò: Illi duo effectus recipiuntur in diversis subiectis, scilicet in anima, & in ejus potentia: Ergo necessario provenire debent à duplici forma; nam eadem forma non potest esse in duplici subiecto realiter distincto, quale est anima & ejus potentia, ut suppono ex Philosophia.

163. Contra secundo: Si gratia habitualis esset forma ita eminens, quod simul duos illos effectus præstaret, scilicet elevationem animæ ad esse supernaturale, & inclinationem formalem ad operandum, & diligendum Deum super omnia, pariter dici posset unicam formam præstare effectus omnium virtutum theologiarum & moralium, ipsorumque donorum Spiritus Sancti, sicque tolleretur necessitas multiplicandi virtutes & dona, cum frustra fiant per plura quæ possunt fieri per pauciora: Sed hoc est contra communem SS. Patrum & Theologorum sensum, qui præter gratiam sanctificantem, plures virtutes, & dona Spiritus Sancti, in hominibus iustificatis admittunt; imò & contra Concilium Viennense, approbans sententiam Theologorum asserentium animabus infantium in baptismo infundi gratiam, & virtutes: & contra Tridentinum sess. 6. cap. 7. ubi expresse decernitur, hominem iustificari per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: Ergo &c.

164. Contra tertio: Esto possibile sit per respectum ad potentiam Dei absolutam, eandem formam utrumque effectum præstare, suavis tamen Dei providentia exigit, ut hos effectus per formas distinctas producat; quia cum esse in aliquo ordine præsupponatur ad operari intra eundem ordinem, principium essendi præsupponi debet, saltem connaturaliter, ad principium operandi. Unde Dionysius lib. de Eccl. hierar. c. 2. ait hominem non posse operari divina, nisi prius fuerit allecutus statum & esse divinum; sicut non potest operari humana, antequam incipiat esse homo.

Dices secundo: Fides & spes sunt virtutes supernaturales, & tamen non exigunt naturam esse elevatam per gratiam, ut subiectum disponatur convenienter ad operandum; cum reperiantur non solum in homine iusto, sed etiam in peccatore, gratia habituali privato: Ergo ratio D. Thomæ deficit.

O 2

Ref.

Respondeo quod quando dicitur de ratione A
virtutis esse, dispoere subiectum ad operan-
dum convenienter ad naturam in eo præexisten-
tem, hoc debet intelligi de virtute habente sta-
tum & perfectam rationem virtutis, & existente
in suo subiecto connaturali: fides autem & spes,
prout sunt in peccatore, cum sint informes, non
habent statum & perfectam rationem virtutis,
nec sunt in subiecto connaturali: unde sicut calor
in aqua, ubi est in esse imperfecto, præternatu-
rali, ac violento, non supponit in illa esse pro-
portionatum ad calefaciendum, ita nec fides &
spes in peccatore supponunt esse supernaturale
proportionatum operationi & fini supernatura-
li. Hoc autem non potest habere locum in cha-
ritate, cum illa sit essentialiter virtus perfecta,
& habeat modum & statum virtutis, nec possit in
esse imperfecto, & informi, ac veluti violento
reperi, sicut fides & spes.

167. Quarto probatur conclusio: Gratia est radix
charitatis, & aliarum virtutum infusarum, sicut
essentia est radix suarum proprietatum: Ergo dis-
tinguitur realiter a virtutibus. Antecedens pa-
ter ex dictis art. 4. §. 3. corol. 2. & potest adhuc
suaderi. Nam gratia est terminus dilectionis quæ
Deus nos diligit in ordine ad finem supernatu-
ralem: Ergo sicut talis dilectio est radix omnium
bonorum supernaturalium, quæ nobis proveni-
unt a Deo, ita & gratia ex sua speciali ratione
habet quod sit origo omnium virtutum. Conse-
quentia verò probatur: Si gratia est radix virtu-
tum, sicut essentia proprietatum, debet habere
in ipsa aliquem influxum activum, qui dicitur
resultantia, essentia enim est causa hoc modo a-
ctiva suarum proprietatum, ut demonstrant no-
stri Thomistæ in Philosophia: Sed influxus acti-
vus supponit distinctionem inter causam & effe-
ctum: Ergo si gratia est radix virtutum, sicut es-
sentia proprietatum, distinguitur realiter ab illis.

168. Denique suaderi potest conclusio. Charitas
est inclinatio in ultimum finem: Ergo supponit
naturam a qua dimanet, scilicet gratiam. Conse-
quentia probatur: Tum quia universaliter om-
nis propensio in aliquem finem, supponit natu-
ram cuius est inclinatio, ut patet in gravitate
& levitate: Tum etiam, quia ideo processio Spi-
ritus Sancti non est per modum naturæ, nec ge-
neratio, quia est per modum impulsus seu incli-
nationis, quæ necessarii supponit naturam, cu-
jus est inclinatio.

169. Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio ex
doctrina quam tradidit S. Thomas q. 27. de verit.
art. 2. In quolibet ordine rerum quatuor reperi-
untur, substantia scilicet seu natura rei, finis i-
pse, inclinatio ad talem finem, & motus seu
rendentia in illum: v.g. in lapide est propria na-
tura, consistens in hoc quod sit corpus mixtum
talisi speciei, finis, qui non est alius quam quies in
centro; gravitas, quæ est propensio seu inclina-
tio in ipsum; & descensus, qui est motus seu ten-
dentia in illud. Similiter etiam in ordine super-
naturali hæc quatuor debent reperi: unde in
tali ordine gratia tenet locum substantiæ seu na-
turæ; visio beatifica habet rationem finis; chari-
tas est inclinatio in illum; & motus ejus sunt o-
perationes elicite ab aliis virtutibus infusis, quæ
eantur ad exequenda opera quibus talis finis
acquiritur. Et ideo (subtili S. Doctor) sicut in rebus
naturalibus est aliud natura ipsa quam inclinatio na-
turæ, & ejus motus, vel operatio; ita & in gratuitis est
aliud gratia a charitate, & a ceteris virtutibus.

Obijcies primo: Tridentinum sess. 6. cap. 7. 170.
hæc tria solum dicit in justificatione infun-
di, scilicet fidem, spem, & charitatem, nulliusque
alterius habitus infusi meminit: Ergo cum cer-
tum sit in justificatione gratiam habitualement in-
fundi, eam Concilium nomine charitatis intel-
lexit, subindeque censuit esse unum & eundem
habitum.

Respondeo Concilium sub nomine charitatis 171.
comprehendere etiam gratiam habitualement non
quod sit unus & idem habitus, sed quia inter se
necessarii connectuntur, & nunquam ab invicem
separantur. Non expressit autem Conci-
lium specialiter gratiam: tum quia initio ejus-
dem capituli mentionem illius fecerat, dicens ju-
stificationem esse renovationem interioris ho-
minis, per voluntariam susceptionem gratiæ & dono-
rum: tum etiam quia can. 11. mentem suam a-
perit declarat his verbis: Si quis dixerit homines
iustificari, vel solâ imputatione iustitiæ Christi, vel so-
lâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ, & charita-
te, quæ in cordibus eorum diffundatur, atque illis inha-
reat, anathema sit. Ibi enim distinguit gratiam a
charitate, cum diversis nominibus eas expri-
mat; aliâ ineptam battologiam committeret,
quæ tunc committitur, cum plura nomina ad
eandem rem significandam assumuntur, uno eo-
rum satis eam exprimente. Nec obstat quod pos-
tea allumat verbum singularis numeri, nempe,
diffundatur, atque inhaereat: istud enim fecit more
grammatico, volens verbû respondere proximio-
ri nomini, non autem duobus quæ assumpserat.

Obijcies secundo: A Scripturæ & SS. Patribus 172.
iidem effectus gratiæ & charitatis tribuuntur; per
utramque enim dicimur iustificari, vivere vitam
divinam & supernaturalem, filios Dei adoptivos fie-
ri, utraque dicitur operire multitudinem pecca-
torum, discernere inter filios Dei & diaboli, ac
esse radix meriti vite æternæ, juxta illud Grego-
rij Magni homil. 27. in Evang. Non habet aliquid
viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice cha-
ritatis: denique sicut per gratiam Deo ut sponso
conjugi dicimur, ita etiam per charitatem ani-
ma Deo maritatur, ut ait D. Bernardus serm. 93.
Ergo non distinguuntur realiter, sed sunt unus &
idem habitus, qui secundum quod obit diversa
munia, diversis nominibus inhiuntur.

Respondeo primo, eosdem effectus gratiæ & 173.
charitatis tribui, non quod sint unus & idem habi-
tus, sed quia sunt inseparabiliter inter se con-
nexa: quæ de causâ Apostolus 1. ad Corinth. 3.
effectus benignitatis & patientiæ tribuit charita-
ti, non quod sint unus & idem habitus, ut satis
constat, sed quia inseparabiliter charitatem i-
psam concomitantur.

Respondeo secundo, quod licet multi gratiæ 174.
effectus tribuantur etiam charitati, propter con-
nexionem & mutuam concomitantiam utrius-
que, tamen aliter tribuuntur gratiæ, & aliter
charitati, scilicet gratiæ ut primæ radici, chari-
tati verò ut fructui illius. Præterquam quod ali-
qua est gratiæ excellentia, quæ non tribuitur
charitati, scilicet dare primum esse supernatu-
rale: atque adeo esse naturam ordinis superna-
turalis, & originem ac primam radicem omnium
morum supernaturalium.

Respondeo tertio, quod quando in Scriptura 175.
effectus gratiæ tribuuntur charitati, non accipitur
cha-